

# M A T E R I A

QUALEM

APUD PLATONEM HABEAT VIM ATQUE NATURAM.

SCRIPSIT

**G. BODE, phil. Dr.**

Laudatur deinde ei punitus apud eiusdem ratione, et a Plato deinde non  
restitutus. His erubens quod in primis tunc invenit, hunc sibi  
cito unicolorum non rursum opificium posuisse videtur, nam cetero  
est. Namque huiusmodi scirent operari ad hoc, quod animi conseruare, difficile  
dicitur, nec possunt illius scirent potest naturam facilius, id quod in Platonis Socratis  
et iracundianus, quemadmodum est hinc propositum, indecet etiam intelligere. Unde non  
mox agit, sed, taliter, aut credas aut negabis. Itaque nostra mente, hanc sententiam, per  
hunc philosophum primum et recte addidit, ut et credat. Ita haec videtur quod  
vix amorem existimat, ut si quisquis esse arbitretur, que materia hanc causam adserere  
potest. Non enim quod erit, sed, quod videtur. Tertio genere, ad quod illi  
debet reverti, philosophus eleborum, non reperiunt, qui dicitur non naturae esse  
potest, demonstrationem, ut videlicet pluteo voluntate. Deinde sententiam illius principali, quia  
autem videtur ei philosophus ille plane ignoraret et a causa dicitur, nescio dicimus, unde  
dicimus, hinc enim sententia debet sit. Et tunc, quod in eis videtur, quod



M A T E R I A

600000

WILHELM PLATOGEN BARDET AM MOLÉE ZAUBERHORN

SCHEISS

E. BODE, BPP. D.

Philosophi quum rerum universitatis, quam mundum vocamus, naturam atque causas ultimas intelligere studebant, in eo omnes consenserunt, ut ortam esse rerum varietatem originemque duxisse dicerent. Omnia enim quae sensibus percipiuntur et nasci et interire, vicissitudini obnoxia, neque quidquam esse stabile, perfectum, absolutum in varia rerum multitudine facile cognoverunt. Itaque licet sint, qui hanc nascendi intereundique vicem aeternam atque perpetuam fore arbitrentur, initium quoddam ejus fuisse minime negabunt. Talis est mentis humanae natura, ut, quum motus notionem animo intueatur, quies per se ipsa ei surgat; solum igitur motum nemo potest cogitare. Quam ob causam, etiamsi motum sine fine statueris, ut eundem sine initio intelligas, fieri non potest. Deinde non dubitaverunt, Deum esse mundi auctorem sive creatorem, confiteri. Deum autem, quem summam mentem rationemque absolutam atque aeternam existimari voluerunt, tam clara ornaverunt natura, ut optimus maximus ipse quidem per se existeret, cetera vero per eum. Attamen quum explicare conarentur, quomodo a tali deo absoluto, aeterno, optimo rerum universitas creata esset, quaestionem longe difficillimam et quam sustinere non possent se adiisse mox animadverterunt. Nam mens humane in corpore inclusa ob hanc causam intelligendi utitur facultate finita atque impedita. Major est majestatis divinae splendor, quam quem mortalium oculi impune ferant, neque quae deus ipse velavit hominum ingenium patefaciet. Deinde in hac lege prima tanquam in fundamento omnis nostra rerum cognitio nititur, ut paria nisi a paribus non procreari persuasum habeamus neque ex ulla re posse quidquam gigni, quod non utatur eadem natura. Quae quum ita sint, si deus absolutus, aeternus, optimus mundi aeterni omnibusque numeris perfecti auctorem se praebuisset, id profecto judicaremus accommodatissimum fuisse. At tantum abest, ut rerum, in qua ipsi vivimus, universitas patri sit aequalis ejusque habeat naturam divinam, ut populi quidam Asiae non a Deo bono sed a Deo malo factam eam esse censuerint. Huc accedit, quod, etiamsi mundus Deo esset simillimus, ipsa creandi actio a nobis non intelligitur, nisi materiam quandam primitivam fingamus, e qua res a Deo auctore formatae sint. Nam quum hominibus materia opus sit ad res, quas animo conceperunt, efficiendas neque fieri possit, ut hac materia privati quidquam fabricentur, id quod in Bibliae Sacrae capite primo legimus, Deum mundum e nihilo procreavisse, mens nostra intelligere quidem nequit, verum ita id se habere aut credit aut negabit. Itaque natura mentis humanae finita atque imperfecta coacti philosophi omnes eo sunt adducti, ut e creatore Deum artificem redderent statuerentque materiam exstissemus antequam res ortae essent, qua materia Deus tanquam substrato usus mundum potius formasset quam creavisset. An inter tot, qui inde a Thalete usque ad recentissimum aevum docuerunt, philosophos clarissimos unum reperisti, qui Deum e sola natura res fecisse ita demonstravisset, ut nihil tibi dubii reliquisset? Denique materiam illam primitivam, quam statui necesse est, philosophi Deo plane oppositam et a natura divina maxime diversam esse jugicaverunt; talis enim quum definiretur materia, mali quoque, quod in rebus inest, causam se

praestat. Attamen uti de natura Dei philosophi doctrinas inter se diversas proposuerunt, ita materiam qualis esset indagaturi magnopere dissenserunt.

Jam qui principes apud Jones philosophiae vacabant, in idem minime inciderunt. Nam Thales, quum animadvertisset, omnia semina humida esse, aquam, id est, humidi notionem materiam primitivam fuisse statuit. Contra Anaximander ex iis quae sunt rebus ullam materiae munere fungi potuisse negavit. Itaque τὸ ἀπειρον eam vocavit. Id enim quod, licet ante omnia fuerit, nusquam jam videmus neque sentimus, id quod, quamvis in omnibus insit, ipsum non jam exstat, accuratius neque definiri neque intelligi posse suo jure arbitratus est. Tertius Anaximenes tanquam in medio positus est, ex aëre docens mundum esse procreat. Nam aér, quamquam res est, tamen, quum oculis non adspiciatur, infinito similior videtur esse, quam aqua. Sequitur Heraclitus, qui ignem materiam primitivam propterea haberi voluit, quod omnium rerum motum aeternum perpetuumque docuit. Res autem, quum e rerum interitu originem ducerent, ignis, qui et ipse delendo aliam rem augetur, qua consumta extinguitur, optimam sane talis conditionis imaginem suppeditabat. Huc accessit, quod philosophi, quos discipulos Heracliti vocare solent, id adjunxerunt, ut dicarent, res continuo motui subjectas, re vera ab hominibus nullo modo cognosci, hominum enim ingenio, nisi quod stabile esset et naturam suam servaret, nihil intelligere licere. Quod quum Heracliti discipuli facerent, altera philosophiae provincia non relictæ, in alteram jam transierunt. Sunt autem duæ philosophiae provinciae; nam aut res, et quales sint et qualem habeant originem, philosophi exquirunt, aut, ut ipsam cognoscendi facultatem, quatenus ad rerum naturam intelligendam sit apta, cognoscant, operam dant. Illam provinciam, qui sibi elegerunt, divini ingenii particula, quae in unaquaque re inest, neglecta in iis potissimum, quae in rebus ipsis valent, viribus facile haerebunt materiamque primitivam quasi Deum creatorem sibique sufficientem habebunt. Id quod Socrates apud Platonem<sup>1)</sup> Anaxagoram fecisse videtur reprehendisse. Ipsam vero cognoscendi facultatem, qui in primis intelligere student, eos cavere oportet, ne materiam resque creatas nimis contemnant neve, esse revera eas, omnino negent. In quem quidem errorem Xenophanes et Parmenides inciderunt. Iam vides, eam, cuius mentionem fecimus, difficultatem hominum ingenio rerum naturam et originem exquisituro iterum atque saepius occurtere. Quod quum ita sese habeat etiam in clarissima Platonis doctrina philosophica materiae notionem latere necesse est. Aperte enim de natura ejus Plato nusquam disputavit neque ullus exstat locus, ubi voce ὥλη aut quaqua alia voce materiam distincte indicaverit usus, verba de illa fecerit. Quam ob rem, qualem Plato materiae concesserit vim atque auctoritatem, ipsis philosophi verbis ante oculos ponere desistamus oportet, sensisse eam nos satis habentes. Attamen quoniam in ideis explicandis Plato saepius atque iterum sic versatus sit, ut communem et mentis et rerum fontem eas redderet, nisi idearum natura antea cognita, qualem materiae reliquerit potentiam, sentire non possumus. Licet igitur de ideis pauca disseramus.

Ideae autem sunt unitates, sunt τὸ ἔρ quod solum revera est atque existit. At non abstractum illud unum ideae sunt, quod, licet omne esse soli sibi arripiat, nihilominus variam rerum multitudinem ex ipsa suae naturae ubertate gignere nequeat. Tale unum sterile atque otiosum quum Eleatici philosophi finxissent rerumque universitatem simulacra tantum praebere sine veritate atque essentia contendissent, hac doctrina prohibiti sunt, quominus multa ex uno procreata esse ostenderent. A quo errore Platonem abhorruisse primum e Sophista appareat, in quo dialogo<sup>2)</sup> demonstrare studet, nullo modo, ut absolutum μὴ ὄν statueretur, fieri posse. Hoc enim admisso poni, quod neque dici neque explicari posset, tale igitur μὴ ὄν acciperemus oportere, ut τοῦ ὄντος partem aliquam sibi sumeret. Sed semel Eleaticorum errores refutasse Plato satis

1) Phaedo p. 96, a. 2) p. 237, c — 239, a.

non habuit, divino enim quo excelluit ingenii acumine adhibito in Parmenide eosdem insectatus est. Ibi ipsum Parmenidem inquirentem induxit, quaenam sequantur, unum si sit aut si non sit. Quam quaestionem, ut de ideis doctrinae accuratissimam rationem haberet, Plato instituit, nam et ipsi idearum fontem τὸ ἔνδιον esse persuasum erat. Id quod ex initio dialogi apparet, ubi Socrates adolescens, auditio Zenone de „non esse“ disputante, primum quidem ante omnia notiones per se abductas ab opinionibus et sensibus illustrandas esse censem<sup>3)</sup>), deinde iis quae Parmenides reversus (foris enim fuisse narratur) objicit argumenta coactus, notiones has esse ideas, id est exemplaria in rerum natura condita, quibus τὰ αἰλλα essent similia eorumque simulacula interpretatur<sup>4)</sup>). Sed hunc locum paullo post iterum adibimus, nunc, qua τὸ ἔνδιον vi atque potentia Plato ornaverit, accuratius exponamus necesse est. Profecta quaestio ab uno multis absolute opposito eo venit, ut demonstretur, id neque totum esse neque partes habere, propterea finibus formaque omnino carens nullo reperiri posse loco neque in semet ipso neque in alio quoquam. Deinde tale unum neque moveri neque quiescere, neque idem esse neque non idem, denique nec sibi vel alii simile aut dissimile, extra omnem temporis rationem, re vera ejusmodi unum nihil esse neque cogitari intelligique posse<sup>5)</sup>). Qua quaestione finita, disputatio jam de integro orta a priore diversam ingreditur viam. Quamvis enim Parmenides iterum ab eadem propositione „unum esse“ incepit, tamen non in unius notione per se demonstranda, sed in eo potissimum nititur, quod, quum „sit“ unum, consequatur, etenim non idem pronuntiari, si quis dixerit unum, vel unum esse, aliud significari verbo esse aliud voce unum<sup>6)</sup>). Hoc autem ita se habere oportet, unum enim et „esse“, quorum utrumque per se non modo aliam habet vim, verum etiam ex iisdem partibus est compositum. Hac autem ratione quum quaeque omnium quae existunt partium iterum pari modo dividatur, infinita earundem partium series e primaria „esse unum“ sumptione quasi procreatur. Sequitur idem per se et e natura sua multum esse infinitamque in se continere multitudinem<sup>7)</sup>). Haud aliter deinde unum si sit, quod ceteris conveniat accidere<sup>8)</sup>), Parmenides quum exponat, cetera nisi ad unum relata et cum eo parte quadam conjuncta neque cogitari neque intelligi posse, sejuncta autem ab uno absoluto et per se accepta τὰ πολλὰ neque totum quidquam esse nec partes habere neque alia, quae ex hac re sponte sequantur, probatum reddit<sup>9)</sup>). At vero quamvis, Platonem τὸ ἔνδιον id est idearum fontem concretum (venia sit verbo) et sui e se ipso explicandi vi atque potentia praeditum percepisse, jam pateat, cave, ne ita hoc illum statuisse putas, ut et τὸ ἔνδιον quia sit, et τὰ πολλὰ id est res creatas plane idem existimari voluisset; non enim dicit τὸ ἔνδιον intelligi posse, quatenus particeps sit multorum, sed unum, quia necessario totum sit, jam per se et secundum propriam suam naturam multitudinis potentiam id est sui e se ipso implendi facultatem in se ferre. Immo unum per se non solum omnino liberum est a materia, sed etiam illa prius. Qua de re nemo dubitat, qui, secunda cum tertia quaestione accuratius comparata animadverterit, „multum“ ob hanc solam causam, quod unius particeps sit, non solum esse, sed etiam partes ejus non nisi partes unius ideae sive eiusdem unius comprehendendi posse<sup>10)</sup>), denique unius notione effici, ut multum certis finibus circumscribatur<sup>11)</sup>). Huc accedit, quod Plato ideas ἐνάδας, μονάδας<sup>12)</sup>) nominans simplices unitates eas existimandas statuit. Quapropter τὸ μονοειδές, μονογνές, ζωθαρόν, ειλικρινές, ἀσωματόν aliis nominibus, quibus, quidquid sejungatur a materia, significari solet, easdem appellavit. Quod quum ita sese habeat, sequitur ideas ob naturae suae simplicitatem semper sibi aequales atque easdem, motus

3) Parm. p. 129, d, e. 4) Parm p. 132, d. 5) Parm. p. 137, c — 142, b. 6) Parm p. 142, b et c.  
7) Parm. p. 142, c — 157, b. 8) Parm. p. 145, a, sqq. 9) Parm. p. 157, b sqq. 10) p. 159, c — 160, a.  
11) Parm. p. 157, d. 12) Parm. p. 158, c et d. 13) Phileb. p. 15, a — 56, d.

interitusve expertes, denique aeternas putandas esse. Neque unitas, qua ornatae sunt, ullo modo dividi potest<sup>14)</sup> et omnes ejusdem generis singulae species una eademque idea continentur. Immotae autem sunt; nam si moveri possent, etiam in aliud mutarentur<sup>15)</sup>, id quod a naturae earum simplicitate atque aeternitate abhorret. Denique sola mente percipi intelligique possunt<sup>16)</sup>. Sed haec de natura idearum a nobis disputata fore ut sufficient quum speremus, de nexus mutuaque necessitudine, qua inter se coniungantur, pauca disseramus. Nam quum rerum sit multitudo infinita, idearum contra unaquaque unitas habeatur definita et a ceteris diversa, facere sane Plato non potuit, quin multas variasque ideas esse doceret. Quam ob rem Socratem legimus a Parmenide provocatum<sup>17)</sup>, ut, qualia vellet esse separata illa a rebus exemplaria a se proposita, accuratius exponeret, primum quidem species justi, pulchri, boni omnium ejusdem generis ideas esse dixisse, deinde dubitanter atque cunctauter concessisse, hominis quoque, ignis, aquae, ceteras physici generis notiones non licere ab ejusdem nominis honore removere, denique a Parmenide audivisse, ne vilissimae quidem res maximeque spretae, crines, lutum, sordes, ut ideis carerent, jure fieri posse. Quod accuratius contemplantem fugere non potest, Platonem non modo veri, pulchri, boni, movendi, quiescendi notiones, quaecunque sola mente cognitae ac perceptae et fidam vere intelligendi normam praebent et in omnibus rebus pari modo insunt, sed etiam generum notiones, quippe quibus res singulae ad idem genus spectantes in unum comprehendantur, ideas existimasse, nec denique minus, quod ex artificum analogia profectum nemo non videt, singularum rerum cuique ideam tribuisse, quae hujus rei causa sit. At erit fortasse, qui putet ideas ita definitas solas notiones fuisse mentis sagacitatem ex ipsis rebus singulis abductas, obque hanc causam variam multitudinem earum Platonem induxisse. Quem errare ex iis patet dialogis, ubi de ratione, qua ingenium humanum ad res intelligendas utatur, Plato disputavit, dico de anamnesi doctrinam in Phaedro et Phaedone potissimum memoriae traditam. Nam in eo collocavit Plato hominum rerum cognoscendrum facultatem, quod in vita priori aeterna rerum exemplaria intuiti adspectus hujus memores res ipsas intelligerent. Neque ideae sunt innatae, quas recentioris aevi philosophi quidam induxerunt, ut merae notiones essent, duces cognitionis. Immo talem habent rationem ad res creatas, qualem habet exemplar ideale, quod artifex mente vidit, ad statuam ab illo factam. Adspicentem enim deum mundum creasse Plato certiores nos facit<sup>18)</sup>. Sed quamvis haec ita sese habeant, varia sua multitudine ideae indicant, ipsis majus aliquid planeque absolutum sit oportere, quod summum atque verum  $\tau\nu$  omnium idearum et fundamentum et caput arbitremur. Neque enim rerum neque idearum varietas tanquam rudis et incondita casu orta est. Talis enim si esset, nullo modo eo nexus, ea necessitudine ideas Plato inter se conjungere potuisset, ut, quamvis unaquaque res complurium idearum partem habeat, ipsae ideae ultimam existendi cognoscendique rationem se praebent. Necesse autem esse, mutua inter se necessitudine ideas uti, Plato in Sophista<sup>19)</sup> ita demonstrat, ut non omnes ideas cum omnibus, sed quasdam tantum cum quibusdam mixtas esse dicat. Quod cur ideis eveniat, illo quidem loco paucis verbis exemploque addito attingit magis quam dilucide exponit, sed e propria idearum natura sponte appareat, maxima miscendi facultate boni, pulchri, justi, veri, ceteras ejus generis ideas ornatas esse, nam et in generum notionibus et in rebus singulis insunt. Sequuntur deinde generum notiones, quae arctioribus quidem prima classe finibus circumclusae ad res tamen singulas spectant. Omnia autem maxime separatas maximeque mixtionis et inter se et cum aliis expertes ipsas rerum singularum ideas esse quis est, qui non videat. Hac igitur mutua inter se necessitudine quum ideae utantur, unicum illud caput, quo mixtionis duce in veram unitatem omnes colliguntur, quod pro

14) Aristotet. metaph. 1, 6. 15) Parm. p. 138, c. 16) Tim. p. 51, d. Resp. 6, p. 507, b. Phaedrus p. 247, c sqq. Phaedon, p. 83, b. p. 66, a. 17) Parm. p. 130, b — p. 130, e. 18) Tim. p. 28, a. 19) Soph. p. 251, d. — 253, d.

varia multitudine sua ipsae poscunt, Boni ideam Plato voluit haberi omnium summam atque splendidissimam. Vides autem primum idearum multitudinem quasi mundi divini speciem praese ferre, qui mundus a varia rerum creatarum multitudine id est ab eo, quem sensibus percipi mus, mundo ita differat, ut originem e sola Boni idea splendidissima duxerit, materiae autem omnino sit expers; deinde uti ideis divini, quo ornatae sunt, splendoris summa idea Boni auctor sit, ita materiam rebus existimandam esse omnium, quibus contaminantur, vitiorum auctorem; deinde quum ideas et praे omnibus boni ideam Plato τὸ ὄντως ὄν vocaverit, materiam τὸ μὴ ὄν esse oportere. Attamen quum materia τὸ μὴ ὄν sit, num absolutum μὴ ὄν et plane nihil propterea judicanda est? Id quod ex iis quibus Eleaticorum doctrinam philosophicam in Sophista et Parmenide Plato ad irritum redigit non satis appetet. Ibi enim „multum“, qua voce non ipsa materia sed res generatae significantur, ob hanc solam causam τοῦ ὄντος non plane dicitur expers, quia τοῦ ἐνός res participes esse oporteat. Demonstrat enim Plato primum „multum“ quoque partes habere, quia, si partes non haberet, „unum“ esset; deinde hasce partes, quum non essent partes „multorum“ sed „unitatis“, originem ducere non ex ipsis „multis“, sed ex una idea, quae revera „unitas“ vocanda sit, omnium sola perfecta atque absoluta. Itaque „multum“ quum partes habeat, τοῦ ἐνός id est ideae participes esse oportet. Attamen quum res solius participes sint „unius“, infinitae judicantur esse numero et similes sui dissimilesque. Similes enim sibi se praebent, quia „unum“ accepturae infinitae sunt numero, nondum enim sunt participes „unius“; dissimiles autem, quia „uno“ accepto partes fiunt et aliae ab aliis segregantur<sup>20</sup>). Contra res, si „unius“ non sint participes, neque easdem neque varias, neque motas neque immotas, neque nascendi intereundique necessitatibus obnoxias, neque majores neque minores, neque aequales sibi judicari posse iterum ostendit. Unde sequitur res tum demum, quum idearum participes sint factae, ex infinito quodam atque plane deformi tales fieri, quae definiri atque cogitari possint. His igitur argumentis usus Plato τὰ πολλά et τοῦ ἐνός et τοῦ ὄντος partem habere studuit probare. Quae argumenta quum accuratius animo perpenderis, non sane te fugiet, in voce τὰ πολλά sive τὰ ἄλλα materiae primitiae quoque notionem latere. Duplicis enim rerum conditionis rationem habet, alterius, quum res τοῦ ἐνός sint expertes, alterius, quum ideae habeant partem; hac quoniam, uti audivimus, vere res siant, illa non dubito, quin Plato licet invitus materiam primitivam significaverit. Sed quamvis id, quod τοῦ ὄντος habent, res ideis debeant, minime judicare licet ipsam materiam absolutum esse μὴ ὄν. Nam non solum Parmenidis sed etiam Heracliti de rerum natura doctrinam Plato refutavit. Heraclitus autem quum res, quales sint, intelligi posse negaret, idem fere docuit, quod Eleatici res „non esse“ statuentes. Non enim dubito, quin Parmenides, si rerum et originem et naturam ex eo, quod τὸ ἔν vocavit, explicare potuisset, res quoque τοῦ ὄντος partem habere facile concessurus fuerit. Itaque non tam eo inter se differunt, quod alter res „non esse“, alter intelligi eas non posse docuerit, sed quia Heraclitus ad sententiam suam probandam longe aliis, quam Eleatici argumentis usus est. Negavit autem ob motum, quo circumferuntur, perpetuum res cognosci posse; et moventur quidem res, non quod mentis divinae partem habeant, sed quia materiae sunt plena. Quod quum ita sit, sequitur Platonem Heraclito refutato non modo res cognosci posse atque τοῦ ὄντος participes esse, sed etiam ipsam materiam primitivam absolutum μὴ ὄν minime habendam esse ostendisse. Neque obstat, quod in Theaeteto, quippe in quo dialogo de Heracliti doctrina disputaverit, de Protagora simul ita verba fecit, ut et Heraclitum et Protagoram errasse una demonstraret. Tantum enim abest ut Protagoras majestatem mentis divinae admiratus res tanti splendoris plane expertes contempserit, ut solius mentis humanae ratione habita hominem omnium rerum, utrum essent an non essent, modum fecerit. Humanam vero mentem depravatam esse et tantopere mente divina minorem, quantopere res se praesta-

20) Parm. p. 158.

rent minores ideis, in Phaedro Plato exposuit. Itaque suo jure Platoni Heraclitum cum Protagora conjungere licuit, ita tamen ut Protagora ad irritum redacto, Heraclitum quoque se refutasse arbitraretur. Nam quamvis Plato physicen quoque tractaret saepiusque de vera rerum natura atque origine disputaret, hanc philosophiae provinciam iis, quae mentis sive divinae sive humanae vim et naturam pertractant, disciplinis posthabuit. Sed quum longum sit, totam, quam in Theaeteto legimus disputationem repetere, satis habebimus capita, ut ita dicam, disputationis commemorare. Cujus initium haec faciunt Socratis verba: „orationem proponam haud sane contemnendam, quippe quae doceat, nihil esse certum, sed omnia fieri, motu et commutatione et mixtione auctoribus“<sup>21</sup>), et quae paullo post sequuntur verba: „ut res esse videantur atque gignantur, motu effici, verum ut non existant atque intereant, quiete“<sup>21</sup>). Deinde duplii motu effici, ut res, quales nobis esse videantur, tales nos cognoscere arbitremur, quorum uterque sit infinitus, alter tamen praeditus vi agendi, alter vi patiundi; horum concursu sensuum nasci perceptiones<sup>22</sup>). Suas igitur oriri unicuique sensuum perceptiones atque tantum abesse, ut omnibus mortalibus res videantur eadem esse, ut ne ab eodem quidem homine eadem res talis semper habeatur, qualem jam judicaverit eam<sup>23</sup>). Denique ex his argumentis sequi neque ullam sensuum perceptionem sive hominis sanae mentis sive amentis falsam esse putandam<sup>24</sup>), neque ullum hominem civibus sapientiorem docere illos posse<sup>25</sup>). Tum quamvis Protagorae doctrinam philosophicam sola ineptiarum, quas accipere nos cogat, enumeratione redarguisset, Plato graviora addidit argumenta. Primum enim ostendit, sensum perceptionem non eandem esse atque animi cognitionem<sup>26</sup>); quum neque omnia, quae sensibus percipimus, intelligamus, qualia sint, neque, si cognitiones nostrae solae sensuum essent perceptiones mobiles atque inconstantes, memoria sive reminiscendi facultate minime uteremur. Deinde non sensus sed animum ipsum aut sensibus tanquam instrumentis usum aut sine ullo sensuum auxilio percipere res atque cognoscere docet<sup>27</sup>). Praeterea ei qui omnia continuo moveri atque mutari statuerit, quidquam cognosci posse negandum esse, accuratius demonstratus motus naturam Plato perlustrat. Duobus autem illum elementis contineri reperit, aut enim rem ex alio loco in aliud transferri aut ipsam mutari. Utrumque elementum oportere in unoquoque motu inesse, ut res, dum ex alio loco in aliud transferantur, simul ipsae aliae fiant. Itaque quum res in ipso duorum motuum concursu mutentur, effici, ut ne ille quidem Protagorae duplicis motus concursus, cuius initio disputationis mentionem fecimus, sensuum perceptionum auctorem se praebat. Denique in ea, quae sequitur de falsis cognitionibus disputatione Plato iterum ad eam, utrum sint res an non sint, quaestionem regressus ostendit, fieri non posse, ut  $\mu\eta\ \ddot{o}v$  animo concipiamus, neque  $\tau\delta\ \mu\eta\ \ddot{o}v$  rei ullius neque  $\tau\delta\ \mu\eta\ \ddot{o}v$  per se<sup>28</sup>). Nam, si quis, inquit, videt vel audit vel tangit, rem videt vel audit vel tangit, hancque rem esse oportet, quam ob causam, si quis animo concipit, rem concipit quae est, et si quis rem concipit mente, quae non est, omnino non concipit<sup>29</sup>). Jam vides quibus argumentis Plato Heracliti et Protagorae doctrinam de rerum natura refellerit. Haec autem quum vera sint atque probanda, sequitur et res varias atque mobiles vere „esse“ propterea, quod idealum essent participes, neque ipsam materiam primitivam  $\tau\delta\ \dot{\iota}\nu\ddot{o}\varsigma$  adhuc expertem absolutum  $\mu\eta\ \ddot{o}v$  judicari posse eum docuisse; absolutum enim  $\mu\eta\ \ddot{o}v$  ne cogitari quidem licere. Sic Platoni quoque fere invito materia quaedam primitiva se obtulit neque divinum ejus ingenium communem mentis humanae sortem fugere valuit. —

At quum hanc materiam unius expertem esse neque eandem neque variam, neque motam neque immotam neque similem neque dissimilem sibi, neque finitam neque infinitam viderimus,

21) Theaet. p. 152, d. e. 21) Ibid. p. 153, a. 22) Ibid. p. 156, a. 23) Ibid. p. 154. 24) Ibid. p. 157, e. 161, c. cf. p. 166, d. 168, e. 25) Ibid. p. 161, d. 162, a. 26) Ibid. p. 163, e. 164, a. b. cf. p. 186. 28) Ibid. p. 184, d. sqq. 185, d. 28) Ibid. p. 168, d. e. 29) Ibid. p. 188, e.

jam exquiramus oportet, quaenam huic materiae attributa, quibus accuratius intelligeretur, aliis locis Plato adjunxerit. Hoc autem consilio dialogos Platonis perlustrans philosophum divinum in materiae natura explicanda non eadem diligentia ingenique acumine usum esse, qua in ideis excelluerit, mox animadvertes. Pauca dixit de ipsa materia eaque obscura neque accurate definita. Id quod in Platone mirari non licet. Ideae divina sunt rerum exemplaria, soli similes summo lucent splendore. Itaque quum, ut divinas ideas intelligeret, Plato divino ingenio praeditus praecepit operam, quis est qui dubitet, quin propriam secutus sit naturam suam atque indolem? Contra materia qualis est? est sane, quia, si omnino non esset, ne cogitari quidem posset, sed quasi umbra est quae quamvis sit, nam vides eam, per se tamen non est sed per rem cuius est umbra. Si accuratius exquirere vis qualis sit fugit neque manibus eam tenere neque mente cognoscere potes. Et umbrae profecto simillimam materia se praebet cum ideis comparata, quippe quam, etiamsi per se sit, sine ideis, quae implentes eam sua vi res generatas efficiant, non magis animadverteres quam umbram vides re cuius umbra est ablata aut luce remota. De materia igitur ubi Plato disputavit, fere invitus disputavit et necessitate quadam coactus; obscurius autem de ea disseruit, quia quod per se obscurum et inconditum est nemo dilucide explicare potest. Cujus rei testis est Aristoteles qui, quamvis nullam universae philosophiae disciplinam neglexerit, materia qualem habeat naturam sive quam ob causam necessarium supplementum sit ingenii divini ad variam verum multitudinem procreandam dilucide exponere minime valuit. Vocat autem Plato materiam et „multum“<sup>30)</sup> et id quod dividi possit<sup>31)</sup> et quod contrarias accipiat notiones<sup>32)</sup> et quod semper fiat atque mutetur et quod ob hanc causam non per se sed cum alio quodam comparata intelligatur<sup>33)</sup>. Vides primum Platonem non nisi talia attribuere, quae ideis plane sunt contraria. Neque te fugiet, quum eae, quibus ideae ornantur, qualitates positivae sint (venia sit verbo) materiae, nisi negativa nulla relicta esse attributa. Deinde materia medium quoddam inter id quod est et inter id quod non est, ei quod est similem tantum se praebet<sup>34)</sup>. Denique ubi in Philebo de finito, de infinito, de mixto, de mixtionis causa Plato verba facit quae de materiae natura attulimus confirmantur. Tria in Philebo Plato proposuit genera eorum quae sunt<sup>35)</sup>; τὸ πέρας sive finitum, quo ideae continentur, τὸ ξυμισγόμενον sive mixtum, quo variam rerum multitudinem intelligi manifestum est. Restat tertium τὸ ἀπειρον sive infinitum, id quod materiam vocavimus primitivam. Hoc trium generum discriminem quum Plato posuerit, quarto genere, causa mixtionis, adjuncta sequitur, et infinitum et mixtum et finitum inter se differre et unumquodque per se atque separatim existere. Nam vi infinitum et origine et aetate non par esset finito aut mixtum quidquam aut certa ipsius finiti forma habenda esset. Neque opus esset causa mixtionis, qua philosophus divinus ad finitum cum infinito conjungendum usus est. Itaque cave, ne infinitum et ipsum aut si mavis materiam primitivam ideam Platonis fuisse putas, sicuti ipsum deum creatorem sub ideae Boni imagine eum intellexisse viri doctissimi docuerunt. Non sane ita est, sed aliud esse ideas, aliud materiam neque ullum exstitisse inter eas vinculum commune antequam deo auctore coeientes formarent res ex eo quem attigimus Philebi loco appetit. Deinde si quaevis eris, quibusnam attributis Plato infinitum ornaverit, eadem fere reperies, quae in iis quos jam memoravimus locis materiae primitivae, quatenus e rebus creatis eluceret, attribuit. Dicit autem τὸ ἀπειρον existimandum esse quodammodo τὰ πολλά, nam et augeri et diminui, notionesque „plus“ et „minus“ ei convenire<sup>36)</sup>. Contra τὸ πέρας virtutes accipit plane oppositas, nam ubique finitum idem esse atque modum numerumque praebere docemur<sup>37)</sup>. Neque materiae primitivae vis atque natura in Timaeo aliter describitur.

30) Resp. 6, 493, e. Parm. 129, a.  
596, a. 7, 524, c. Tim. 49, c. Phaed. 103, b. 70.  
5, 477, a. cf. 479, b. Resp. 10, 597. Phileb. 54.

31) Tim. 35, a. 37, a. sqq.

32) Parm. 103, b. Resp. 10,

33) Symp. 207, d. Cratyl. 386, e. Soph. 255, e.

34) Resp. 5, 477, a. cf. 479, b. Resp. 10, 597. Phileb. 54.

35) Phileb. 16, c. 23, c. d. 36) Phileb. p. 24, a.

37) Ibid. 25, a.

Ibi quum ab eo quod re vera sit, et nascendi expers ea utatur natura, ut et semper sit idem et ratione sive mente intelligatur, alterum segregaverit, quod semper fiat atque intereat et nisi opinione sensibusque non cognoscatur<sup>38)</sup>, tertium addit, quod omnium quae generantur rerum commune sit tanquam receptaculum vel nutrix, tali praeditum natura ut ipsum nullam unquam accipiat formam certam neque usquam possit oculis videri, quamvis capax sit omnium formarum quippe quibus, ut fiant, facultatem praebeat<sup>39)</sup>). Denique tertium illud genus, alias „infinitum“ vocatum pro hac sua natura difficillime intellectu et explicatu rationis sive mentis partem habere additur. Huc accedit, quod Plato quum iterum ideas, res generatas et tertium quoddam distinguenter, tertio illi auctoritatem attribuit loci, hisce verbis usus: τρίτον δὲ αὐτὸν γένος ὅν τὸ τῆς χώρας ἀεὶ φθορὰν οὐ προδεχόμενον, ἔδοσαν δὲ παρέχον ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν κ. τ. λ.<sup>40)</sup>. Attamen quum haec a Platone de materia primitiva dicta difficillima sint intellectu in his locis accuratius investigandis nos commorari necesse est. Comparantur autem ideae et materia primitiva, quippe e quibus mixtis res nascantur, cum patre et matre, ita ut materia matris munere fungatur, sola patiundi atque pariundi facultate praedita, idea contra patris partes agat, itaque agentem et gignentem se praestet. Tum ob hanc causam materia omni forma privatur, ne forma quadam primitiva prohibeat, quominus justas idearum imagines pariat<sup>42)</sup>). Deinde quod oculis videri non posse materiam primitivam Plato proponit, id ab iis quae paullo antea<sup>43)</sup> legimus verbis non discrepat. Ibi enim quum haec dicat: βούληθεις γὰρ ὁ Θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὄφατόν, παραλαβὼν οὐκ ἡσυχίαν ἀγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάξτως, εἰς τάξιν αὐτὸν ἥγανεν ἐκ τῆς ἀτάξιας, ἥγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἀμεινον, tria illa genera quae saepissime jam definivimus, non ita accurate distinguit, ut postea fecit, ubi gravissimam ad quam accessit quaestionem hisce verbis exorsus est: Η δ'οὐν αὐθις ἀρχὴ περὶ τοῦ παντὸς ἔστω μειζόνως τῆς πρόσθεν διηρημένη. τότε μὲν γὰρ δύο εἴδη διειλόμεθα. νῦν δὲ τρίτον ἄλλο γένος ἡμῖν δηλωτέον. τὰ μὲν γὰρ δύο ικανὰ ἦν ἐπὶ τοῖς ἔπιποσθεν λεχθεῖσιν, ἐν μὲν ὡς παραδείγματος εἶδος ἵπποθέν, νοητὸν καὶ ἀεὶ κατὰ ταῦτα ὅν, μίμημα δὲ παραδείγματος δεύτερον, γένεσιν ἔχον καὶ ὄφατόν. τρίτον δὲ τότε μὲν οὐ διειλόμεθα, νομίσαντες τὰ δύο ἔξειν ικανῶς· νῦν δὲ ὁ λόγος ἔουσεν ἀναγκάζειν χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἶδος ἐπιχειρεῖν λόγοις ἐμφενίσας<sup>44)</sup>). Denique locus superest difficillimus explicatu ubi haec legimus verba<sup>45)</sup>: ἀλλὰ ἀόφατον εἶδος τι καὶ ἀμορφον, πανδεξέ, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ καὶ δυσαλωτότατον αὐτὸν λεγοντες οὐ ψευδόμεθα. Num εἶδος potest esse ἀόφατον atque ἀμορφον? Sunt qui velint, Platonem notiones contrarie oppositas de industria conjunxisse, ut id quod ideis esset contrarium nullo modo intelligi vel explicari posse dilucide ostenderet. At in verbo εἶδος hoc loco nimis haerere fortasse non licet, sed ita accipiendum est, ut „notionis“ tantum habeat vim atque auctoritatem. Et notionem profecto esse oportet materiam illam primitivam, quamvis formae omnino expers oculis cerni non possit, etiamsi ideam eam existimandam esse jure neges. Quod praeterea appellatur μεταλαμβάνον . . . τοῦ νοητοῦ, quum jam dictum esset idem esse πάντων ἔπιδων hanc virtutem Plato concessisse videtur ei magis necessitate quadam coactus, quam ratione dialectica adductus; nam paullo post<sup>46)</sup> idem hisce verbis definitiv: αὐτὸν δὲ μετ' ἀναισθῆσις ἀπτὸν λογισμῷ τινι νόθῳ μόγις πιστόν, κ. τ. λ.

Sed singulis locis ubi Plato de materia primitiva qualis sit qualemque habeat vim atque naturam verba facit maxima certe ex parte perlustratis qualem materia se praebuerit jam repetamus. Plato quum res creatas τοῦ ὄντος participes idearumque imagines esse vellet, ad materiam quandam primitivam statuendam adductus est, nam sine ea, quomodo res ex ideis fierent,

38) Tim. p. 27, e. 39) Ibid. 48, e. 49, a. 50, b. 51, a. b. 40) Ibid. p. 52, a. 42) Tim. p. 50, d.  
43) Ibid. p. 30, a. cf. 69. 6. 44) Ibid. p. 49, a. 45) Ibid. p. 51, a. 46) Ibid. p. 52, b.

probare non potuit. Ex iis autem quae materiae conceduntur attributis appareat, natura eam uti ideis contrarie opposita praeditamque esse sola vi patiundi; ita ut, quum ideae vocentur τὸ ὄντως ὄν, materiam se praebeat τὸ μὴ ὄν, quod tamen exsistit, nam si omnino non exsisteret ne cogitari quidem posset. Neque ideae materia priores Platoni videntur fuisse, nam et in Philebo et in Timaeo, ubi de rerum origine disputavit, duas proposuit potentias primitivas, ideas et materiam, sive finitum et infinitum, e quibus, tertia potentia, id est miscendi causa adjuncta, rerum varietas ita fieret, ut ideae patris materia matris munere fungeretur. Denique materiam rebus aequa atque ideis priorem et ob hanc causam formam omnino privatam in loci notionem Plato transfert. Id quod Aristoteles confirmat his verbis usus: „Πλάτων τὴν ψήλην καὶ τὴν χώραν ταῦτο φησιν εἶναι ἐν τῷ Τίμαιῳ· τὸ γὰρ μεταληπτικὸν καὶ τὴν ψήλην ταῦτον<sup>47)</sup>. Haec fere habui a Platone de materiae vi atque natura disputata afferre, pauca sane atque obscura, nam multa restant de quibus dubitari possit, neque materiam qualis Platoni fuerit accuratius intelliges, si substratum (ut hoc verbo utar) quoddam eam habendam esse censueris, e quo per ideas quasi impleto res nascantur, iterum enim quaeram, quaenam sit hujus substrati vis atque natura? At quamvis multa sint desideranda, corporeum quidquam materiam judicare minime licere persuasum habebit, qui in memoriam ea revocaverit, quae Plato de quattuor elementis primitivis, utrum materiam primitivam se praebent nec ne, disputavit<sup>48)</sup>. His autem verbis finem fecit quaestio[n]is: διὸ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ παντὸς αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν μῆτε γῆν μῆτε αἰρὰ μῆτε πῦρ μῆτε ὕδωρ λέγωμεν μῆτε ὄσα ἐξ τούτων μῆτε ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν· ἀλλ ὁρατον εἴδος τι καὶ ἀμορφον οὐ τ. λ. Non igitur corpoream sibi finxit Plato materiam, sed quae sola mente cognoscatur. Deinde hoc quoniam ita sese habeat, vide quae sequantur, quum loci auctoritatem materiae adjudicaveris. Loci notio e quietis et motus notionibus quasi oritur; quietem autem et motum inter eas Plato habet notiones, quas in primo idearum ordine posuit, locum igitur primi ordinis ideam itidem existimabimus? hoc equidem non crediderim, siquidem locus idem est atque materia, hanc enim ideis contrarie esse oppositam et πάντων ἐκτὸς εἰδῶν saepissime legimus. Quam ob causam ea loci notio, quam materiam primitivam Plato voluit esse non ita est intelligenda, ut e quiete et motu ortum quidquam habeatur sed ut his notionibus existimetur prius aliquid. Neque puto eos recte judicavisse, qui materiam, quum loci auctoritatem sibi vindicaverit, varias quae et inter ideas et inter res existunt relationes esse censerent. Dilucide enim Plato dixit materiam juxta ideas esse neque per eas neque post eas. Sed ii qui relationes quae et inter ideas et inter res oriuntur materiam voluerunt haberi, ob hanc causam id voluerunt, quod timuerunt, ne Plato, ideis et materia juxtapositis, in dualismum incideret. Id quod temere videntur veriti esse. Nam Plato quum materiam primitivam necessarium rerum procreandarum substratum sibi fingeret, innatae hominum ingenio inopiae cessit; ingenium enim humanum rerum originem explicaturum substrato quodam, quo deus artifex utatur, carere minime posse, initio dissertationis demonstravimus. Sed tantum abest, ut philosophus divinus materiae huic quam necessitate coactus statuit, eandem et naturam et majestatem tribuerit qua ideas ornavit, ut praeter id quod ostendit materiam esse rebus priorem, quibus sedem atque se formandi facultatem praebet, nisi negativa nulla ei adjunxerit attributa. In ipsis vero rebus procreandis passivam se praestat potentiam; nam quum materia matris et ne matris quidem sed nutricis partes agat, soli rerum patres atque auctores ideae ubique apparent. Ut pater gignit, mater parit, nutrix alieni hominis infantem nutrit, ita ideae res procreant, materia rerum seminibus quae ab ideis accepit solam facultatem praebet maturescendi suique explicandi. Eiusmodi autem discrimen quum inter ideas et materiam Plato interponeret, haud sane incidit in dualismum, qui duas de-

47) Arist. Phys. IV, 2, p. 209. cf. Plat. Tim. p. 51, a.

48) Tim. p. 49, b. — p. 51, a.

